

2017 TSJCL CONVENTION  
SIGHT RECITATION  
LEVEL IV, V, Vet – Poetry

forsitan audierīs aliquam certāmine cursūs  
vēlōcēs superasse virōs. nōn fābula rūmor  
ille fuit; superābat enim. nec dīcere possēs,  
laude pedum fōrmaene bonō praestantior esset.  
scītantī deus huic dē coniuge “coniuge,” dīxit,  
“nīl opus est, Atalanta, tibī. fuge coniugis ūsum.  
nec tamen effugiēs, tēque ipsā vīva carēbis.”  
territa sorte deī, per opācās innuba silvās  
vīvit, et īstantem turbam violenta procōrum  
condiciōne fugat, “nec sum potiēda, nisi,” inquit,  
“victa prius cursū. pedibus contendite mēcum.  
praemia vēlōcī coniūnx thalamīque dabuntur:  
mors pretium tardīs. ea lēx certāminis estō.”